



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Gerardi ad Ducem Bauariae, & Ducis ad Gerardum literae. n. 16.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1618. portionem vobis subuenire quâ anno Superiori: In proximo nostro congreg-
 1619. fu plura fortasse potero dicere.) Scripserat *Gerardus*

Eiusdem
 aliq. literg.

sub hoc tempus literas benè longas ad Ducem; ob oculos ponens quidquid
 ad commendationem suscepti operis spectabat: Has vt accepit *Talbottus* tra-
 dendas, in hunc sensum rescripsit. "Spero te vltimas meas
 accepisse quibus significavi quem effectum habuerit officium meum apud bo-
 num Principem, vestris precibus adiutum, & Religiosi Principis pia incli-
 natione, cui omnes Catholici plurimum debent, nos Angli præsertim; mag-
 na enim caritate nos afflictamque nostram Infulam prosequitur. Habeo in
 manibus quinque millia florenorum huius patriæ, quæ confestim mihi mi-
 sit; significaueram enim præsentem egestatem vestram & creditorum im-
 portunitatem: superat in mille florenis summam quam in literis quæ ad me
 erant nominaueras; sufficient igitur, vti spero, necessitati: Videtur quotan-
 nis non minus donaturus donec frater succurrat: Huius pecuniæ quantum
 potero mecum feram quoniam festinatis. Heri accepi literas cum inclusis ad
 Principem: destinaueram mittere atque eo sine ipse scripseram; maturiore
 tamen deliberatione apud me habita mutatâ sententiâ asseruo: Concessio
 enim iam eo quod petieras, videri potuisset importuna postulatio, & aliunde
 etiam fortasse querelas concitare; nunc culpa, si qua sit, in me recidet, qui
 meo nomine rem propolui. Ad Principis vestri literas responsum dedi quàm
 potui officiosum, hortatuque sum ad propositi expletionem.

Gerardi
 literæ ad
 Bauariæ
 ducem.
 Initio anni
 1619.

XVI. Diurna Electoris Colonienfis Leodio absentia spem infir-
 mam reliquerat eorum quæ ad stabilem Tyrocinijs sustentationem concepta
 fuerant: Vilum igitur *Gerardo* est è re futurum si se toto conatu ad *Maximi-
 liani* benignitatem applicaret, & opportunitate datâ filij recens nati *Alberto*,
 (alteri ducis fratri) paucis gratulatus felicem hanc in ea familia sortem, sub-
 iungit. "Et sanè quod vehementer optauimus ex parte concessit diuina bo-
 nitas: Permittat tamè nobis Serenitas vestra adhuc diuinæ clementiæ preces
 indefessas offerre vt multiplicatâ tam Sanctâ familiâ non desit soboles quæ
 ex lumbis vestris tanquàm ex radice optima germinans in folio vestro sedeat;
 In hunc finè preces, penitentias & pia opera offerre non desistemus; quæ
 omnia simul & nos ipsos Serenitati Vestræ summo iure deberi agnosci-
 mus; Illa enim liberalitas Vestra quâ necessitatibus nostris largâ manu sub-
 uenit, non tam ex amplitudine doni (licet vere regij) æstimari debet, quàm
 ex magnitudine beneficij, & subsidiij opportunitate; quod vt clarius innotes-
 cat Serenitati Vestræ & simul cognoscat statum huius, iam vestræ, domus;
 hic status noster fuit R. P. Schereno Visitatori nostro nuper exhibitus &c.
 Tum narratis conditione domus, itinere *Guilielmi Balduini* per Gallias Ro-
 mam discussâ nebulâ accusationis puluerariæ, & honorificâ acceptione in
 Anglia Illustrissimi *Georgij Talbotti*, nunc Comitum Salopiensis, claudit Epi-
 stolam oblato precum & honorum operum munere, strenæ loco.) Ad
 quam Serenissimus Bauarus sic respondit;

Reuerende

Reuerende in Christo Pater Carissime. Pluribus nominibus gratæ mihi aduenere Reuerentiæ Vestræ literæ, quibus inprimis natum fratris filium gratulatur, ac mihi simul similem, quem à Deo precibus postulatum promittit, adprecatur. Hinc est quod gratias illi referam duplicatas, atque in proposito persistat etiam atque etiam iogem. Nec enim est abbreviata manus Domini, qui forte pluribus precibus & nostris exercitationibus delectatur. Astrinxi me quondam voto Beato *Ignatio* vestro si hoc mihi beneficium obtineret, *Ignatij* nomen impositurum filio, atque Collegium Societatis exstructurum & dotaturum ibi locorum vbi Patri Generali ac prudentibus magis videbitur ex bono publico. Quid si Deus hinc vobis prouideat? Sed ipse disponet vt hætenus quæ de vestra domo præordinauit, vt liquido constat ex ijs quæ de statu & successu illius R. Vestra iustius enarravit. Hinc forte ansam capiet R. V. magis adhuc curæ cordique habere ad quæ vltro se mihi tam promptum exhibet, nec ero difficilis in anticipando id quod R. V. insinuat. Patri *Balduino* gratulor cum tanto merito exantlato labore, & cum Societatis honore assecutam libertatem, simulque doleo me priuatum cõspectu & præsentia tanti viri. Grata fuere quæ de nostri Comitæ Salopiensis statu R. V. nunciat; iure gloriatur Rex de tam erudito subdito, magis tamen habet quod in illo commendet & imitetur, singularem pietatem & virtutem. Pro xenio spiritali singulares R. V. gratias ago, cui vicissim me ad gratificandum offero, atque à Deo felicia quæque precor. &c. Ad alias posterius datas trigessimò Iulij hæc rescripsit.

Quæ suis ad me datis literis de Societatis ab ipso initio in Anglia statu, de quæ vestra Missionem in Vice-Prouinciam erecta nunciauit, iucunda acciderunt speranti (diuini numinis fauore) quàm hætenus experti estis maiores fructus subsecuturos. Certè quod R. V. mihi tribuit, hoc solum, post Deum, vestro zelo & solertiæ debetur. Subsidium mille trecentorum Florenorum Germanorum pro Tabernaculo Sanctissimi Sacramenti, ac Theca pro imagine B. V. per P. Mayer transmisiimus. Quod vero vota nostra ita curæ & cordi habeatis, est quod gratias singulares agamus, ac vt in cæpto persistatis sedulo rogamus. Hæc enucleatiùs dicta sunt, vt integræ *Gerardo* maneat primitiæ liberalitatis Bavaricæ, Et si enim nimius fortasse fuerit in Virginum Anglarum ad Sancti Martini positatum rebus negotijsque procurandis, cum non leui huius domus præiudicio, munificentia tamen *Maximiliani* ducis præiuit, iccirquæ fundamenta in quæ *Henricus Silsdonius* successit primùm, deinde circa annum seculi vigesimum secundum *Odoinus Shelleyus*, *Gerardo* in Hispanias & Romam transmissis, vbi post multorum annorum fructus in se auctos, & in alios deriuatos diem obiit extremum, plenus meritorum quæ & in Anglia, & extra Angliam suscepti labores, & perpeffa fidei causâ tormenta pepererunt.

XVII. Anno decimono & vigesimo implicatus bello Bohemico dux *Maximilianus*, quantumuis exhausto ærario non destitit huic Tyrociniõ munifi-

1619.

1620.

Bavari ref
ponso 15.
Ianuarij.Eisdem
aliæ literæ.Bavari mu
nificentiæ.